

idem ex consensu omnium valet, ac aliquid ob gravem solidamque ac prudentem rationem asserere. Ergo si probabiliter quidpiam dicis probabile, spectato proprio verborum sensu, oportet ut ad id affirmandum, prudenti, gravi ac solida ratione ducaris. Abs re ergo... hoc idem negares proprie et solide esse probabile. „

§ 2. VARIA SYSTEMATA DE PROBABILITATE.

67. Supponantur adesse duae sententiae oppositae quarum una legi, altera libertati favet, ex. gr. una obligans ad audiendum Sacrum cum hoc illove impedimento, altera ab eadem obligatione excusans. Quaestio quam solvere intendimus, haec est: quandonam licet, ideoque tutum est, sequi sententiam libertati faventem? E variis responsis ad hanc quaestionem oriuntur varia systemata quibus probabilismus determinatur vel impugnatur. Haec summi momenti sunt, siquidem in re morali creberime occurrunt casus in quibus ita duae sententiae oppositae animum suspensum tenent.

1<sup>um</sup> RESP. Requiritur ut sententia favens libertati sit *certa*. Ratio est, quod quamdiu intra limites probabilitatis haeremus, versamur in periculo errandi ideoque et peccandi. Hic est **tutorismus absolutus**, damnatus ab Alexandro VIII cum 3<sup>a</sup> prop. Sinnichii: „ Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam. „

2<sup>um</sup> RESP. Requiritur ut eadem sit *probabilissima*. Hoc systema, quod vocatur **tutorismus mitigatus**, vix differt ab absoluto, ad quem logice et manifeste ducit. Nititur enim eodem principio: vitandum esse omne periculum errandi et peccandi, quod semper manet nisi habeatur certitudo. Deinde, in rebus moralibus nullum practice discrimen viget inter opinionem certam et vere probabilissimam.

3<sup>um</sup> RESP. Requiritur ut eadem sit *probabilior* quam sententia legi favens. Hoc systema, quod **probabiliorismus** audit, tamquam principium habet: „ Tutius est sequendum. „ Fautores ejus praecipui fuerunt plures AA. Ordinis Praedicatorum. ex. gr. Billuart qui probabiliorismum fuisse exponit et tuetur. (Cursus Theol. in 1<sup>am</sup> 2<sup>ae</sup> t. I. diss. 6<sup>a</sup> de opinionum probabilitate et delectu) Hodie autem inter scriptores vix ullum fautorem habet: quod potissimum tribuendum est iudicio quo S. Sedes doctrinam benigniorem a S. Alphonso propugnatam, tutam declaravit.

4<sup>um</sup> RESP. Requiritur ut eadem sit *aeque probabilis* ac sententia legi favens. Hoc systema nomen **aequiprobabilismi** gerit. Ut tamen

plene intelligatur, haec insuper addenda sunt. Efficaciam hanc solvendi a lege extendunt equiprobabilistae ad sententiam *fere* aequae probabilem ac sententiam faventem legi, quia „ parum pro nihilo computatur. „ Sed eandem efficaciam restringunt ad casum quo dubia est legis existentia: nam, eorum sententia, cum dubia est cessatio legis, sequenda est opinio legi favens. Haec restrictio profecto ad essentiam systematis non pertinet, sed constanter fit ab hodiernis ejus fautoribus: eam desumunt e primario principio suo: „ Melior est conditio possidentis. „ Extra limites hujusce latae probabilitatis, vincit opinio unice probabilis vel certe probabilior, sive haec opinio legi faveat, sive libertati. Hoc systema propugnant PP. Redemptoristae (Aertnys, Marc, etc.), Ill. Simar Episc. Paderborn. (Lehrbuch der Moraltheol. § 52), etc.

5<sup>um</sup> RESP. Requiritur tantum ut eadem opinio sit *solide et practice probabilis*, etiamsi opinio favens legi sit probabilior. Hic est **probabilismus purus** quem sequuntur communiter auctores Soc. Jesu et Franciscani, ex. gr. Vander Velden (Principia Theol. Mor.) multique alii, ex. gr. D. Bouquillon (Theolog. Mor. fundamentalis), P. Raphael a S. Josepho (Instit. fundam. Theol.), Ill. Waffelaert (De dubio solvendo in re morali.) Horum principium primum est: „ lex dubia non obligat. „

6<sup>um</sup> RESP. Requiritur tantum ut eadem opinio sit *tenuiter probabilis*. Hoc systema vocatur **laxismus**. Fatendum tamen est nullum auctorem talem doctrinam theoretice propugnasse: si qui laxistae nomen merentur, id potius ex eo contingit quod crebro, ob tenues rationes, sententias libertati faventes probabiles vocant.

**COROLLARIUM.** Inter catholicos scriptores tria tantum systemata fautores suos habent, nempe probabiliorismus, equiprobabilismus et probabilismus purus. Ideo, in stabiliendo systemate nostro, duplicis tantum speciei adversarios ante oculos habere debemus. Imo fere unice contra probabilioristas adstruitur generalis demonstratio probabilismi: quippe qui parum ab equiprobabilismo distet, ut postea explicabitur. Omittemus hic, utpote minoris momenti, systemata quaedam parum feliciter a paucis excogitata, ut prorsus diversa ratione solvantur conscientiae dubia.

§ 3. DEMONSTRATIO PROBABILISMI.

68. **THESIS.** Quotiescumque de solo licito vel illicito agitur, licet sequi opinionem vere et practice probabilem, etiamsi opinio opposita legi favens est probabilis vel probabilior.

**Status quaestionis.** 1<sup>o</sup> Probe advertenda haec verba "quotiescumque de solo licito vel illicito agitur. „ His enim indicatur thesim hanc esse universalem ita ut quilibet tuta conscientia sequi possit opinionem vere et practice probabilem, de quacumque lege agatur, sive humana, sive divina. Ex altera parte, iisdem verbis excluduntur ab hujus thesios ambitu quaestiones omnes in quibus non agitur tantum de liceitate vel illiceitate alicujus actionis, sed simul et proxime de ejusdem efficacia ad certum quemdam finem absolute obtinendum. In his enim operans semper debet adhibere medium certum, si hoc in sua potestate habet, probabilius, si certum non datur. Si enim medium tantum probabile adhibet, relicto tutiore, inducit periculum nullitatis effectus ideoque deest obligationi quam ex religione, justitia, etc. habet ad finem hunc, quantum potest, obtinendum. Nam effectus orietur e solo medio valido, non e quolibet probabili. Hoc praesertim in sacramentis conficiendis usu venit. Sic, licet probabilius valeat baptismus in pectore collatus, perperam inde concluderem: " Ergo mihi licet baptizare infantem in pectore, etiam quando facile aquam capiti infundere possem. „ Similiter medicus, curam aegroti suscipiens, se implicite obligat ad sanitatem ejus quo meliore potest medio restituendam. Igitur si quod medium multo probabilius, efficax haberet, non posset aliud probabilis tantum efficaciae adhibere. Cfr. prop. 1<sup>am</sup> ab Innoc. XI damnatam: " Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore. „ Fusius de hac obligatione in conficiendis sacramentis dicitur Vol. II. n. 116. Similiter in Tract. V. (n. 194) explanabitur aliud hujus doctrinae corollarium, scil. non posse adhiberi sententias mere probabiles ubi de necessariis ad salutem agitur.

Notandum est nullam in his casibus dari exceptionem probabilismo. Nam in illis omnibus probabilitas non afficit actionem hic et nunc a me ponendam, sed efficaciam medii ad finem obtinendum: actio autem ipsa certe illicita est. Hinc si quis, ex. gr. in baptismo administrando, relicta materia certa, probabilem tantum adhiberet, is peccaret, non " quia utitur opinione probabili de liceitate actionis, sed quia utitur opinione probabili de actus validitate, exponens se periculo frustrandi effectum absolute obtinendum. „ (Buccer. Th. Mor. I. de Consc. n. 30)

2<sup>o</sup> Intelligimus per sententiam vere et practice probabilem eam quae nititur motivis tum absolute, tum relative gravibus (n. 65) et quae respicit omnes circumstantias actus hic et nunc ponendi, nulla abstractione facta. Excluditur ergo sententia quae apparenter tantum vel speculative probabilis foret.

3<sup>o</sup> Adversarii sunt probabilioristae et, ex parte, aequiprobabilistae, quatenus hi requirunt pro libertate sententiam fere aequae probabilem et excludunt casum quo lex in possessione est. Horum sententias non

damnamus, sed contendimus in conscientia tutum esse qui nostram in praxim deducit.

#### 69. PROBATUR I. ARGUMENTO EX RATIONE.

Lex dubia non obligat.

Atqui lex est dubia, quotiescumque stat pro libertate opinio vere et practice probabilis, etiamsi forsitan minus probabilis sit quam opposita.

Ergo, in hac hypothese, nulla est obligatio sequendi opinionem faventem legi, seu licitum est sequi opinionem faventem libertati.

*Prob. maj.* " Nullus ligatur per praeceptum aliquod nisi mediante scientia illius praecepti. „ (S. Th. de Verit. q. 13. a. 3.) Nam, ut habet S. Alph. (Dissert. scholastico-moralis pro usu moderato opinionis probabilis in concursu probabilioris): " Certum est Deum libertatis dominium homini concessisse, ut agere posset omnia quae a divina lege non prohibentur, ut ex Apost. 1 Cor. VII, 37: " Potestatem autem habens suae voluntatis. „ Hinc ait Sanchez (de Matrim. disp. 41. n. 36): " Quoties dubium est, an impositum sit praeceptum naturale, divinum vel humanum de aliqua re, non obligari dubitantem: quia, donec constet de praecepto, possidet voluntatis libertas. „ Neque habetur vera scientia legis per opinionem probabilem vel probabiliolem quae ipsi favet. Nam, ut scribit idem S. Doctor (Syst. mor. n. 77): " Quod sub nomine scientiae intelligatur probabilis notitia, haec est novi vocabularii nova significatio, dum philosophi omnes cum S. Thoma distinguunt opinionem a scientia, quae accipitur ut cognitio certa alicujus veritatis. „

*Prob. min.* Quoties habetur opinio vere et practice probabilis pro libertate, etiamsi pro lege stat opinio probabilior, manet grave motivum opinandi legem non existere vel non obligare. Jamvero propter tale motivum merito dubitari potest num lex existat vel obliget. Ergo semper manet lex dubia.

Ut autem difficultati occurratur, adverte hoc ratiocinium nostrum non aptari hypothese in qua opinio pro lege est probabilissima, opinio vero pro libertate tenuiter tantum probabilis. Nam quando adhibemus hoc axioma " lex dubia non obligat „, loquimur de lege quam aliquis prudenter in dubium vocet. Imprudens autem foret qui ita, ob tenuem rationem, legem sibi cum summa probabilitate manifestatam negligeret et opinionem tenuiter probabilem sequeretur. Cfr. Ball. P. n. 132.

N. B. Haec demonstratio, cum deducatur ex ipsa natura obligationis per legem impositae, est omnino universalis et dubiis omnibus circa quaecumque legem exortis applicanda. Nec logice distingui potest inter dubia de lege humana et dubia de lege naturali, inter dubia de lege existente et dubia de lege cessante. Ut enim recte scribit Bucceroni

(l. c.) : " Si probabilismus verus est, semper verus esse debet et in omni casu verificari debet. "

#### 70. II. ARGUMENTO EX AUCTORITATE.

1° Ex historia ecclesiastica universe inspecta.

Multa aevi christiani saecula elapsa sunt antequam probabilismi principia et conclusiones in unum doctrinae corpus compingerentur. Plurima tamen testimonia ostendunt SS. Patres et Theologos usos esse ea ratione solvendi dubii practici quae postea scientifice a probabilistis proposita est. Sic Novatiano, qui secundas nuptias illicitas esse contendebat, respondit S. Gregorius Nazianzenus: " Quo argumento id confirmas? Aut rem ita esse proba; aut, si id nequis, ne condemnes. Quodsi res dubia est, vincat humanitas et facilitas. ", (Or. 39. In sancta lumina n. 19.)

Tamquam systema in scholis prodire coepit probabilismus exeunte saeculo xvi°. Anno scilicet 1571 vel 1572, Bartholomaeus de Medina, Professor Salmanticensis, commentarios in D. Thomam edidit in quibus diserte statuit (ad 1. 2. q. 19. a. 6) : " Si est opinio probabilis, licitum est eam sequi, licet opposita probabilior sit. ", Jamvero ex quo sub hac nova forma in scholis explicari et propugnari coepit, benigne receptus est probabilismus apud Ecclesiae Pastores, Ordines religiosos, celeberrimas Universitates, uno verbo in Ecclesia tota. Id fateri coguntur etiam acerrimi ejus adversarii qui postea exstiterunt, ut Thyrsus Gonzalez qui (Fundam. Theol. Mor. Introd. n. 6 seqq.) testatur ab anno 1597 usque ad 1656 doctrinam hanc fuisse communem eamque amplexos esse " ex omni religiosa familia et ex omni christiani orbis celebri Universitate auctores gravissimos ", imo inter opiniones scholasticas fortasse nullam inveniri " quae plures cursu non longo temporis sectatores habuerit. ", (ib. n. 1)

Verum quidem est multos probabilismum aggressos esse a medio saeculo xvii° : cujus immutationis ratio praesertim duplex assignatur. Prior est rigor Jansenisticus, cujus fautores probabilismum acerrime impugnarunt tamquam intolerabilis laxismi fontem : nempe, odio infensissimo adversus Societatem Jesu abrepti, in his impugnationibus cernebant medium aptissimum ad deprimendos et calumniandos hujus Ordinis religiosos, qui illi systemati tuendo plurimum addicti erant. Posterior causa fuit damnatio quarundam propositionum, ex. gr. 27<sup>ae</sup> ab Alex. VII (cfr. n. 66) et 3<sup>ae</sup> ab Innoc. XI reprobatae : " Generatim, dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus. ", Reapse damnatio illa non ipsum probabilismum, sed perversas quasdam ejus applicationes impetebat. Sed multi, opinati laxismum ex ipso systemate oriri, ad probabiliorismum confu-

gere. Nihilominus alii scriptores numero et doctrina minime inferiores, in vetere sententia perstiterunt, nec umquam Romani Pontifices ipsius probabilismi condemnationem, licet saepius ad eam incitati fuerint, edere voluerunt. Haec fusius videsis apud cl. Bouquillon. Theol. Mor. fundam. n. 298 seqq.

Jamvero ex hoc facto quod haec probabilismi doctrina tot saeculis in Ecclesia tradita et applicata fuit, invictum argumentum pro ejus veritate exurgit. Ita S. Alph. (Dissert. cit.) : " Si sententia benigna fuisset opposita traditioni apostolicae et communi sensui Doctorum qui Medinam praecesserunt, quomodo mille contradictores non insurrexissent adversus eam et damnassent? Tanto magis quod fautores benignae sententiae scripserunt paulo post editum Tridentinum, quod ideo coactum fuit, ut morum pravitatem, quae per orbem christianum irrepserat, eliminaret; unde Praesules et Pontifices, si illam ut damnosam doctrinam habuissent, totis certe viribus pro ipsius eliminatione incubuissent; anne putabimus Deum tunc temporis Ecclesiam deseruisse, permittendo hoc errore tam pernicioso (ut ipsi clamitant) fideles undique decipi? Dices: Ecclesia non omnia approbat quae non damnat, sed saepe ex prudentia tolerat. Respondetur hoc concedi quoad aliquas opiniones particulares, sed non quoad alias, quae doctrinam generalem continent, ut est sententia benigna, quae importat cunctarum conscientiarum directionem circa omnes particulares casus; unde, si esset falsa, universi populi christiani deceptio invecata fuisset. "

2° Ex approbatione data a S. Sede doctrinae S. Alphonsi de Ligorio.

Praesertim triplici documento haec approbatio effertur :

a) Decreto S. Congr. Rit. (18 Maii 1803) super revisione et approbatione operum Ven. Alphonsi : " Nihil in eis censura dignum repertum fuit. "

Ne ultra debitos limites hujus decreti vis extendatur, nota, juxta Bened. XIV (De beat. et can. Servorum Dei, t. 2. l. 2, c. 28 seq.), unice attendi in hac revisione num aliquid in operibus Servorum Dei censuram theologiam mereretur eo tempore quo conscripta sint, neque inquiri num aliqua controversia forsitan, posterioribus temporibus, auctoritate ecclesiastica dirempta fuerit.

b) Responso S. Poenit. (5 Julii 1831). Etenim interrogata : " An sit inquietandus confessarius qui omnes S. Alph. a. Lig. sequitur opiniones in praxi sacri Poenitentiae tribunalis, hac sola ratione quod a S. Sede Apostolica nihil in operibus ejus censura dignum repertum fuerit, cum adnotatione, quod nempe confessarius iste non legit opera beati Doctoris, nisi ad cognoscendam accurate ejus doctrinam, non perpendens momenta rationesque, quibus variae nituntur opiniones; sed existimans

se tuto agere eo ipso quod doctrinam, quae nihil censura dignum continet, prudenter judicare queat sanam esse ac tutam, nec ullatenus sanctitati Evangelicae contrariam? S. Poenit. respondit " Negative, habita ratione mentis S. Sedis circa approbationem scriptorum Servorum Dei ad effectum canonizationis. „ Hinc sequitur S. Alphonsum esse virum prudentem et in rebus moralibus versatissimum quem prudenter, etiam ob solam auctoritatem ejus, sequi possimus.

Similiter in altera parte ejusdem responsi, S. Poenit. declaravit Theologiae professorem posse tuto sequi et profiteri opiniones quas S. Alphonsus in sua Theologia Morali profitetur, sed, ne quis hae declaratione abutatur, addidit: " quin tamen inde reprehendendi censeantur qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur. „ Liquet etiam eum qui aliquam opinionem a S. Alphonso admissam certo sciret esse falsam, ex. gr. quia recentioribus Sedis Apostolicae legibus contraria esset, non posse ei in posterum adhaerere.

c) Praecipua et sollemnior approbatio data est per Litt. apost. Pii IX (7 Julii 1871) super confirmatione tituli Doctoris. In iis laudatur S. Alphonsus quod non solum Jansenismum strenue impugnavit, sed et " plurimos libros conscripsit, sacra eruditione et pietate refertos, sive, inter implexas Theologorum tum laxiores, tum rigidiores sententias, ad tutam muniendam viam, per quam Christi fidelium animarum moderatores inoffenso pede incedere possent, sive ad Clerum informandum... „ Et confirmato Doctoris titulo, prosequitur R. Pont. " Praeterea hujus Doctoris libros, commentaria, opuscula, opera denique omnia, ut aliorum Ecclesiae Doctorum, non modo privatim, sed publice... citari, proferri atque, cum res postulaverit, adhiberi volumus et decernimus. „

Haec omnino positiva approbatio tribuit S. Alphonso auctoritatem maximam, per se tamen non superiorem illi quam cunctis Ecclesiae Doctoribus conciliant eximia sanctitas et insignis doctrina: nam opera ejus habenda sunt *ut aliorum Ecclesiae Doctorum* scripta. Nihilominus, cum S. Alphonsus recentiore tempore vixerit et universam scientiam moralem complexus sit, illa sollemnis approbatio Theologo Morali indicat quo potissimum duce in quaestionibus arduis uti debeat ad doctrinam omnino tutam assequendam.

71. Ex his pluries repetitis S. Sedis oraculis magna vis accessit probabilismo universe sumpto, seu quatenus aequiprobabilismum et probabilismum purum continet atque doctrinae rigidiori, tutorismo nempe et probabiliorismo, opponitur. Nemini enim dubium est S. Alphonsum a rigidioris sententia, qua juvenis imbutus fuerat, ad benigniorem conversum esse. Obscurior autem quaestio est utrum S. Doctor aequiprobabilistis an probabilistis puris sit accensendus.

Etenim ambigi nequit quominus aliqua apparens contradictio vigeat inter priora et posteriora S. Alphonsi opera in iis locis ubi suam de probabilismo sententiam exponit. Ita in duabus dissertationibus, quarum una anno 1749, altera anno 1755 typis edita est, docet " licitum esse uti opinione probabili, etiam in concursu probabilioris pro lege, semper ac illa certum et grave habeat fundamentum. „ Postea vero hunc probabilismum purum deserere visus est. Sic anno 1765 docuit non licere " sequi opinionem minus probabilem, quando opinio pro lege est notabiliter et certe probabilior. „ (Apologia in cui se defende la dissertazione circa l'uso moderato dell' opinione probabile.) Imo etiam ea scripsit quae potius ad probabiliorismum quam ad aequiprobabilismum deflectant. Sic anno 1774: " In dubiis moralibus debemus sequi veritatem: quapropter ubi non possumus veritatem clare invenire, saltem sectari debemus illam opinionem, quae propius ad veritatem accedit: itaque ipsa veritas quae nos obligat ad eam sequendam, nos quoque obligat ad sequendam eam opinionem quae stat pro lege, quando propius accedit ad eandem illam veritatem. „ (Dichiarazione del sistema che tiene l'Autore etc.)

Hinc magno animorum aestu certatum est de ratione qua haec saltem apparens contradictio explicanda sit. Plerique scriptores putarunt indignum esse tanto Doctore quod revera ab una parte ad alteram fluctuaverit; quare enixe conati sunt probare oppositionem illam inter varia opera S. Alphonsi esse mere apparentem. Verum eorum plures, quibus antecellunt auctores Vindiciarum Alphonsianarum (t. I. p. 44 seqq.), contenderunt eum constanter, etiam in prioribus illis dissertationibus a probabilismo puro abhorruisse et saltem implicite tenuisse aequiprobabilismum. Alii, inter quos eminent Ballerini (Dissert. de genuina S. Alph. sententia circa usum opinionis probabilis, n. 4), docuerunt S. Alphonsum numquam substantialiter deflexisse a systemate probabilismi puri, quod fuse in duabus dissertationibus citatis demonstraverat. Hanc rationem interpretandi S. Doctoris opera nuper erudite propugnavit Gul. Arendt S. J. in Crisi quam edidit Apologeticae de Aequiprobabilismo Alphonsiano historico-philosophicae dissertationis, a R. P. De Caigny, C. SS. R. exaratae. Quidam autem, praesertim recentissimi, veram oppositionem inter priora et posteriora opera, quoad probabilismi systema, vigere autumant. Ita Marc (Inst. Mor. Alph. t. I. n. 90), Gaudé (de Morali system. S. Alph. historico-theologica dissertatio), etc. Hi concedunt S. Doctorem probabilismo puro adhaesisse in duabus illis dissertationibus, quarum tamen auctoritatem plurimum elevare conantur; tuentur autem eundem postea adumbravisse paulatim systema suum aequiprobabilismi, cui tandem in posterioribus operibus et Theologiae Moralis editionibus plene adhaeserit.